


**Breve Apostolico di Papa Benedetto XIII dato il 3 Luglio 1725**

*Conferimento di privilegi ai Gran Priori ed ai Chierici*



## **BENEDICTUS PP. XIII.**

**Ad perpetuam rei memoriam.**

**In Apostolicae dignitatis fastigio, meritis licèt imparibus , per ineffabilem Divinae Bonitatis abundantiam, constituti ad statum omnium Ecclesiarum , praesertim insignium, quarum nobis à Domino credita est sollicitudo, personarumque in eis primarias dignitates obtinentium , propensis studiis jugitèr intendimus, earumque decori, et dignitati paterna benignitate libentèr consulimus , sicùt omnibus maturae considerationis trutina perpensis rationi consentaneum esse in Domino arbitramur. Nupèr siquidèr prò parte dilecti Filii Nobilis Viri Francisci Farnesii , Parmae, et Placentiae Ducis expositum fuit , quod cum aliàs ipse Franciscus Dux, uti Magnus Magister, seù perpetuus Administrator Militiae aureatae Costantinianae, sub titulo Sancti Georgii, et Regula S. Basilii Magni in vim literarum fel. rec. Clementis Pp. XI. praedecessoris nostri, sub plumbo, anno Incarnationis Dominicae 1718, sexto Kalendas Junii, Pontificatus sui anno 18 expeditarum, qui-**

bus inter alia Ecclesia Beatae Mariae *della Steccata* Parmensis in Ecclesiam, et sedem Conventualem ejusdem Militiae erecta fuerat, facultatem sibi per Magnum Priorem dictae Ecclesiae literas dimissoriales Fratribus Militibus, et Cappellanis Militiae praefatae, nec non Ministris ipsi Ecclesiae inservientibus concedendi competere, seù attributum fuisse, praetenderet, rec. mem. Innocentius Pp. XIII. praedecessor etiam noster, Congregationi particulari nonnullorum ex Venerabilibus Fratribus nostris, tunc suis S. R. E. Cardinalibus, et dilectis Filiis Romanae Curiae Praelatis, rem discutiendam commisit auditaque postmodum Ven. Fratrum temporalis ejusdem Francisci Ducis ditionis, scilicet Parmensis, Placentinae, et Sancti Donini Episcoporum desupèr relatione, solum Episcopum Parmensem ejusmodi praetensioni refragari compertum fuit. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat ipse Franciscus Dux, Jura, quibus talis facultatis pertinentiam ex memoratis Clementis praedecessoris literis, pluribus, solidique rationibus, et argumentis non obscurè evinci existimat, in scriptis redigi, nobisque exhiberi curaverit. Congregatio verò Cardinalium, et Praelatorum, sicut praemittitur deputata hactenus habita minimè fuerit, dictusque Franciscus Dux, qui a litibus, et controversiis abhorret, ad illas antevertendas, seù dirimendas sibi praedictam facultatem ex integro per nos concedi, seù alias opportunè in praemissis provideri plurimum desideret: Nos justis, et rationalibus ex causis animum nostrum moventibus, ac singularibus ejusdem Francisci Ducis in nos, et hanc S. Sedem fidei, et devotionis, aliarumque eximiarum virtutum, quibus multipliciter praefulgèt meritis adducti, ipsius Francisci Ducis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere, dictamque Eccle-

siam Beatae Mariae *della Steccata*, et illius pro tempore existentem Magnum Priorem novi honoris praerogativa decorare cupientes, nec non dilectum filium modernum Ecclesiae praefatae Magnum Priorem à quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis, jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutum fore censentes: supplicationibus praefati Francisci Ducis nomine nobis hoc humiliter porrectis inclinati, eidem moderno, ac pro tempore existenti Magno Priori dictae Ecclesiae, ut ipse quotannis quatordecim personis Militiae praefatae Cruce insignitis, simulque expressè professis in temporali ditioe ipsius Francisci Ducis domicilium habentibus, et in futurum habituris, octo scilicet in Parmensis, tribus in Placentinae, et totidem in S. Donnini Civitatibus, vel Dioecesibus commorantibus, quae requisitis à Concilio Tridentino qualitatibus, praedictae fuerint, literas dimissoriales ad Clericalem characterem, et ad omnes etiam sacros, et Praesbyteratus ordines suscipiendos concedere, liberè, licitè, et validè possit, et valeat, auctoritate Apostolica tenore praesentium concedimus, et indulgemus, ità tamen ut literae dimissoriales praedictae ad illam ex tribus Episcopis Parmensi, Placentino, et S. Donnini, in cujus Civitate vel Dioecesi personae praefatae domicilium habebunt, dirigantur praeter, quam si Episcopus Dioecesanus abfuerit, vel non esset ordinationes habiturus, vel sedis Episcopalis vacaverit, tunc enim ad alterum ex duobus Episcopis praedictis ordinationes habentem dirigi possint, ac servata quoad literas testimoniales (si, et quando eisdem opus erit) Constitutionis piae mem. In-

nocentii Pp. XII. praedecessoris iidem nostri, quae incipit *Speculatores* forma, et dispositione. Ipsum verò Priorem, super praemissis à quoquam quovis praetextu, causa, vel occasione molestari, perturbari, aut impediri, nullatenus unquam posse, sicque, et non aliter per quoscumque Judices, Ordinarios, et Delegatos etiam causarum Palatii Apostolici auditores, ac ejusdem S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, et dictae Sedis Nuncios, sublatae, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus, super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari decernimus. Non obstantibus Apostolicis, ac in universalibus Provincialibusque, et Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non quatenus opus sit, dictae Ecclesiae Beatae Mariae, aliisque quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus, privilegiis, quoque Indultis, et literis Apostolicis sub quibuscumque verborum temporibus, et formis, à cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, et alias quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, confirmatis, et innovatis, quibus omnibus, et singulis, etiam si pro eorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialibus specifica, expressa, et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omissis, et forma

in illis tradita observata exprimerentur, et inserentur, praesentibus pro plenè sufficienter expressis habentes illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialitèr, et expresse derogamus, et derogatum esse volumus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die 3 Julii 1725, Pontificatus nostri anno secundo.

✠ FABIVS CARDINALIS OLIVERIVS





Selezione a cura di:

<http://biblioborbonica.altervista.org/bibliocostantiniana/index.html>

Google books

 creative commons

Copyright-Only Dedication\* (based on United States law)  
or Public Domain Certification